

goreos fuisse, ut revera putarent rerum naturas numeris hisce phantasticis, quibus numeramus, constare. Id persuasi sunt ex tam multis obiectionibus, quibus Aristoteles in eos invehitur: nihil aliud sibi aut cogitandum aut quaerendum existimantes, 5 quam quae Aristoteles quacumque ratione scripsisset.

At postquam viri huius cuspis tam grave vulnus Pythagoreis infligit, non aliunde mihi medela illis quaerenda est; quam ut eodem cuspe, sicuti olim Telepho illi accidit, convalescant. Non afferam igitur huc cuiusquam vel Pythagoreae vel alterius sectae 10 aut scholae philosophos. Aristotelem ipsummet adhibebo atque amantissimos illius admiratores.

Illud praefabor Pythagoram, Aegyptios ac Chaldaeos, a quibus doctrinas suas hauserat, uti antecedente libro tetigimus, imitatum, velamentis quibusdam scientias texisse, ne, si invulgarentur, passim cuivis de plebe segni ac nequam homini innotescerent. Velamenta haec duplicis generis fuere. Ea scilicet quae 15 Plutarchus ac Iamblichus nobiles authores symbola appellare, quale illud: gladio ignem ne fodito, vulgari via ne [308] incedito et consimilia, tum mathemata atque haec triplicia: numeri, figurae, harmoniae. His non aliter Pythagoras usus est, quam Orpheus fabulis, Aegyptii hieroglyphicis. Plus dicam Pythagorae haec fuisse loco secreti cuiusdam ac figurati sermonis, eadem vi ac ratione, qua libro *Peri herminias*<sup>iii</sup> voces esse animae passionum symbola dicuntur. Et literae eorum, quae in voce sunt, sic 20 numeri, figurae, harmoniae symbola cogitationum Pythagorae fuerunt.

Id verum esse ostendam, ommitam Nicomachi ac Anatolii Theologumena numerorum: Plutarchi, Iamblichi, Syriani, Procli aliorumque maximorum philosophorum vel intercisas vel conti-

---

<sup>iii</sup> Danas transliteriramo *Peri hermeneias* – iz Petrićeve transliteracije vidi se tadašnji izgovor.